

gionis Floridæ (ut applicato ad suam Hispanicā linguam accentu uocant Hispani Tubalei) fit ita curuum littus, ut plusquam semicirculi circumferentiam referat. A' Florida ad Britonū promontorium recta in Euroaquinonem tractus procedit: & hinc usque ad littus Gronlandiæ pertinens, obscura cetera tam ex Asiæ Semie ue parte, quam ex Gronlandiæ continentí relinquit. Mensuræ autē huius circumscriptioñis sunt in secundo Dispunctionum libro diligenter traditæ, unā cum rebus reuera planè admirandis, quæ iam in hac utraque Atlantidis parte inuentæ sunt.

De illa uero parte quā Chasdiam debere dici suprà notaui, nil adhuc potest referri: nisi quis, ex eo quod Mauros homines et nigerrimos habeat, instar Chamesiæ (in qua ex Chufo filio Chamesis, alioqui albi ex coniuge alba procreato, & non loco, sed scelere patris sic infecto, sunt nati Aethiopes) dicat esse orientalem Aethiopiam, cuius ex Homero meminit Strabo. Nam in ea littoris parte quæ est reperta, sunt uisi summa nigredine homines, quales in sola Chamesia sunt.

Primorum orbis totius habitatorum

origines.

Quamuis nemo sic hactenus ex omnibus Cosmographis curauit tradere origines primorum habitatorum, sed omnes aut fabulosa quædam Græce uanitatis somnia in quosdā deos, qui nunquam, aut pessimi nebulones fuere, retulerint habitationum primordia, aut oblatos populos sine ulla origine recitarunt: tamen quia & temporum